

Pri. 20. num. 31. ~~300~~

1767.5.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
VS VRIS EX MORA
IN DONATIONE

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM / ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXVI. SEPTEMBR. ANNO CICIOCC LXVII.

P V B L I C E D E F E N D E T

GOTTFRIED AVGVSTVS BERNHARDI


WILD SCHV TZ. MISNIC.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



26 BEGIMEN
CAPUT IURIS CONSOLIDATI
VARIANTUM
IN DONATIONE
CHRISTIANO THOMAS HEDINGER
NAVIDOTIO HEDINGER
GOTTFRIDUS AYAGASTAS BERNHARDI





DE
V S V R I S E X M O R A
I N
D O N A T I O N E



§. I.

Quae ante Legem Cinciam donorum munerumque extitere iura, euidem non liquet, si vero coniicendum, arbitrio cuiusvis relictum fuisse, coniicio quid, quantum, quoue modo quis donare velit, donec haec celebratissima demum lex donationibus modum licet imperfecte scriperit, cum appareat, eandem legem neque

A 2

neque sanctione poenali munitam fuisse, neque, quae contra modum donata praescriptum, reprobasse. Constituerat vero lex illa in secundo capite: *VT NE PLVS... HS DONARE LICERET, EXTRA QVAM SI CONIVNCITIS PERSONIS DONARETVR, QVOD EO AMPLIUS DONATVM ESSET, RATVM NE ESSET.* Et in tertio capite: *VT IN DONATIONE QVIBVSCVNQVE PERSONIS FACTA MANCIPATIO TRADITIOVE INTERVENIRET.* Scil. haec in rebus nec mancipi, illa contra in rebus mancipi, ut obseruauit BRVMMERVS in *Comment. ad L. Cinciam Cap. XIII.* Essecit praeципue tertium capitulum, ut antiquioribus *Donatio* inter modos acquirendi dominii referri posset.

§. II.

Non repeto posterioris aetatis iura, quae videntur legem Cinciam abrogasse, videlicet quae enarravit breuiter HEINECCIVS ad *Vinnii Comment. in Institut. L. II. Tit. VII. pr.* Praeterquam illam Constantini M. in *L. I. C. Theod. de donat.* et Theodosii ac Valentiniani AA. in *L. 29. C. de donat.* veteris iuris immutationem, summam emendationem *L. Cincia* passa est, in *L. 35. et 37. C. eod.* a IVSTINIANO qui donationem nudo pacto factam ratam esse iussit, ex quo iure contradictonata ad rem donatam consequendam a donatore promissam.

§. III.

Hacc haec tenuis bene! At sunt, quae plerumque negliguntur in hac causa explicanda. Videlicet utrum lege Cincia lata donatio per stipulationem inualida fuerit, neque actio ex stipulatu concessa sit donatario contra donatorem. Quod quidem

dem adfirmare non ausim, cum apud ICtos, quorum aetate
legis Cinciae obligatio non omnis cessaret, stipulationum seu
promissionum mentio fieret in causa donationis. Sic apud
MODESTINVM in L. 22. ff. de donat. legimus: *Eum, qui*
donationis causa pecuniam, vel quid aliud promisit. caet. At-
que eo minus dubitare licet, tum teste POMPONIO in L. 5.
princ. ff. de V. O. Stipulationum rotidem genera sunt, quo
(paene dixerim) rerum contrahendarum.

§. IV.

Nihilominus inter ipsam donationem perfectam, et pro-
missionem ex causa donationis differentiam fuisse, facile ex in-
de patet, quod cum quiritarium rei donatae dominium transie-
rit in donatarium vi mancipacionis, bonitatum contra vi tra-
ditionis in donatione perfecta, contra in promissione ex cau-
sa donationis actio tantum ex stipulatu enata sit ad perficien-
dam donationem vel mancipatione, vel traditione. Hinc non-
dum erat ista promissio ipsa donatio, sed personalis tantum
obligatio. Quare nec ipsum imperatorem pacto donationem
perfectam statuisse censeo. Si enim illius de hac re constitu-
tiones editas attendimus, L. 35. §. 3. C. de donat. verba: *Sed*
in his omnibus, siquidem intra legitimam summam donatio fiat,
nulla monumenta requirantur, se referunt ad Constantini Theo-
dosianique donations interueniente scriptura promittendas,
quas sine eiusmodi scriptis monumentis validas pronunciat Imperator,
nullibi vero iam perfectam ipsam donationem ad eum
modum, ut est legis Cinciae, declarat. Iam vero Iustiniani
aetate, cessante illa inter res mancipi et nec mancipi differentia,
euauuit mancipatio in perficienda donatione, mansit tamen
necessitas tradendi rem promissam. Inde vtique Iustiniani ae-
tate perfecta donatio manet modus transferendi acquirendique

domini, sicut in contrarium promissio, quae olim stipulatione,
post scriptura interueniente, et iam Iustiniani aetate pacto valide
fiebat, titulum iustum habilemque ad acquirendum dominium
effecit.

§. V.

Sicuti vero reliqua, quae ad amplissimam hanc mate-
riam donationis pertinent, lubens mitto, ita de themate ipso
videndum, quid juris? Patuit ex supra dictis, potuisse olim per
stipulationem promissionem de donando fieri et post pacto
interueniente eandem obligationem aequa validam produci.
Iam pone, me vel stipulatione, vel pacto ex donationis causa
pure promisisse centum Titio, statim veniebat et cedebat dies,
pro ut est natura purae obligationis. Sit itaque, ut interpell-
latus a Titio de tradenda seu soluenda summa illa donata ni-
hilominus non soluerim, dubium non est, me fuisse in mora
soluendi, et iam enascitur quaestio: an si vel ex stipulatu vel
conditione ex lege Iustiniane conuentus possim non tantum
condemnari in summam donatam, quod dubium non est, ve-
rum etiam an in condemnatione usurarum ratio haberri possit?

§. VII.

Tetigit hoc thema Emund. MERILLIVS in Obseru.
L. V. cap. XIV. Sed distinctius res tractanda. Autor est.
MODESTINVS in L. 22. ff. de donat. cuius autoritate vide-
tur quaestio decidenda. Ait enim: Eum qui donationis causa
pecuniam, vel quid aliud promisit; de mora solutionis, pecuniae
usuras non debere, summae aequitatis est: maxime cum in bona
fidei contractibus donationis species non deputatur. Non ergo
videtur mora contracta donator condemnari posse, ut usuras a
tempore morae soluat. Sed distinguendum arbitror. Mode-
stinus

* * *

*S*tinus de ea loquitur promissione ex causa donationis, quae per stipulationem fiebat. Iam cum stipulatio stricti iuris negotiis adnumeranda, in his vero, nisi promissae usurae, praestari ex mora non debebant, quae contra accepto iudicio seu lite contestata, quae nouationem continebat, praestandae, argumento ducto ex L. 38. §. 7. ff. de usur. et fruct. Recte ergo ex sui temporis iure donatorem ex mora liberabat ab usurarum praestatione.

§. VII.

At vero, si, ut introduxerat **IUSTINIANVS** in tit. II. promissionem pacitiam ex causa donationis validam perfecte que obligatoriam ad effectum actionis, promissio de donando facta fuerit, an tunc ex mora ad usurae praestandas condemnari possit donator, alia causa est. Sublata enim differentia inter stricti iuris bonaerque fidei causas, omnia bonae fidei efficit Iustinianus negotia. Ad haec ergo et referenda promissio de donatione pacitiae. Et cum in omnibus causis bonae fidei ex mora usurae debentur, ut adfirmat **MARCIANVS** in L. 32. §. 2. ff. de usur. et fruct. dubium non est, donatorem qui donationis soluendae moram contraxerat, condemnari posse ad usuras praestandas.

§. VIII.


Cum forum ab hac regula ex mora usuras praestandas non ecedat, utique in rebus iudicatis hanc sententiam comprobandum esse haud dubitamus. At videtur quidem obinde dubitari posse, quod donatio liberalitatem contineat, qua rem *nullo iure cogente* in alterum transferamus, et praeterea ingratum videri posse ab eo usuras exigere, qui ex sola liberalitate nobis beneficium exhibit, quae ingratitudo a donatario abesse debet.

Sed



Sed vix utraq[ue] dubitatio nos ad aliam sententiam deducat. Est quidem verum, in donatione liberalitatem esse, qua rem nullo iure cogente in alterum transferimus. Sed distinguenda est causa mouens nos ad donationem, vel de donando promissionem, ab ipsa promissione valida ex eaque proueniente iure et obligatione perfecta. Nullo iure tenebatur donator ad promittendum, sed, promissione facta, iam tenetur ex pacto. In agendo ergo respicimus ad pacti obligationem, non ad causam illam, quae nos impulit ad paciscendum. Neque ab ingratitudine argumentum petendum. Is enim, qui legitimo modo ius, quod sibi debetur ab altero, exigit, ingratus non est.

T A N T O V . M .




ULB Halle
003 719 014

3



1078





222



Pri. 20. num. 31. ~~2000~~
17675.

MEN
SENS
CONTROVERSVUM

X M O R A
ATIONE

D
ORDINIS GRATIA
S I D E
ENR. BREVNING
GENT. PVBLIC. ORDIN.
TER. DVISBVRG.
O
PETRINO
NNO CICIOCC LXVII.
FENDET
TVS BERNHARDI
MISNIC.

A E
NGENHEMIA.
FRIED
VERS.
ALLE